



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||**

**Ignacio <de Loyola>**

**Mogvntiae, 1600**

**VD16 I 56**

De scrupulis dignoscendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45165**

lem ac pauperem debere esse. Hoc idem in quolibet statu seu vitæ genere prouideri conuenit: habita interim ratione personarum, & statuum ipsorum; sicut in matrimonio exemplum præbent S. Ioachimus, & S. Anna; qui diuisis per annos singulos facultatibus suis in tres partes, pauperibus vnâ erogabant; alteram dicabant in templi, & diuini cultus ministerium; & tertiam postremo necessitati suæ reseruabant.

*QVÆDAM NOTATV*

*digna, de scrupulis, quos anima  
demon iniicit, digno-  
scendis.*

**P**RI MV M : Vulgo scrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrij motu & iudicio, aliquid concludimus peccatum esse, cum peccatum non sit: veluti, si quis animaduertens se crucem,

ex paleis humi figuratam, in transitu calcasse, crimini sibi vertat. Hoc autē non scrupulus proprie, sed iudicium potius erroneum vocari debet.

**S**ecundum: Scrupulus proprie dicens est, quoties post calcatam crucem eiusmodi, vel post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam, oboritur nobis extrinsecus, peccati admissi suspicio. Et quamvis altera ex parte veniat in mentem, nos minime peccasse; ambiguitatem tamen quandam, atque animi perturbationem sentimus; à dæmone videlicet obtrusam.

**T**ertium: Prior scrupuli species, improprie sic dicti, prorsus abhorrenda est, ut erroris plena. Posterior vero, per tempus aliquod (dum præsertim recens est vitæ melioris institutio) animam rebus spiritualibus vacantem, nō parum iuvat; cum eam mirum in modum purget, at-

que

que ab omni peccati specimine abducatur; iuxta illud Diui Gregorij. Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est.

**Q**uartum: Callide obseruare solet inimicus, qualis nam sit animæ cuiusuis conscientia: crassiorne, an delicatior. Et si quam innenit delicatam, multo quoque delicatiorem efficere nititur, & in extremum quandam redigere anxietatis gradum, vt sic misere turbatam, à profectu spiritali tandem deiiciat. Puta si animã nouerit, quæ peccato nulli consentiat, mortali, siue veniali, immo ne umbram quidem (vt sic dicamus) voluntarij peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi obucere, eo iatagit adducere, vt peccatum sibi esse credat, quod reuera non est; cuiusmodi est, de verbo aliquo, vel cogitatiuncula repentina. Crassam è di-

uerfo animam, seu conscientiam, reddere crassiolem studeat; ut, quæ negligebat prius venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac indies minus respiciat.

**Q**uirtum: Ut anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: ut si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem: aut relaxet contra, si dæmon nimium velit restringere. Sic enim continget, vitatis extremæ vtriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto, & securo statu, iugiter manere.

**Extra:** Quotiescunque homini, dicere, aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiæ usu, vel maiorum nostrorum sensu nō dissonat, quodque tendit in DEI gloriam, obuiat extrinsecus suggestio dissuadens, ne

dicat,

dicat, aut agat illud propositum, adducta vel vanæ gloriæ, vel mali alterius cuiusvis fucata quadam ratione: Tunc ad DEVM eleuanda mens est: sique appareat, ad eius gloriam spectare dictum, aut factum eiusmodi, vel certe contrarium non esse, tendendum recta erit aduersus talem cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum diuo Bernardo: Nec propter te cœpi, nec propter te finiam.

*REGVLÆ ALIQVOT  
seruande, ut cum orthodoxa Ec-  
clesia vere sentiamus.*

**P**RIMA: sublato proprio omni iudicio, tenendus est semper paratus promptusque animus, ad obediendum veræ Christi sponsæ, ac sanctæ Matri nostræ, quæ est orthodoxa, catholica, & Hierarchica Ecclesia.

Secun-